



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 3. Admiranda in Regno Legionensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

etiam, & elaboratam Crucifixi imaginem. *Nierembergius.*

Compluti seruantur hostiæ quæ numquam putrescere potuerunt, quamquam in loco repositæ ubi omnia facillè corrumpuntur.

Idem.

Ibidem è saxo in quo SS. Iustus & Pastor securi percussi sunt oleum perpetuè stillat, quo multi morbi depelluntur. *Idem Eusebius.*

Arlancie in templo S. Petri ossa Comitis Castellæ Fernandi Gonzali seruantur: ea ingenti fragore percrepant, quoties Hispani celebrem aliquam victoriam relaturi sunt. Imò & cùm res prosperè contra infideles à Christianis gerenda est, quod obseruatum maximè cùm Huniades grandi clade Turcas cecidit 1456. & cùm Granata expugnata est. *Idem Nierembergius.*

In agro *Toletano* iuxta pagum *Valentiosim* fontes in imo acidi, & vinosi saporis, in superiori parte dulces. Ratio est quia acidæ nitrosæ sunt ac proinde subsidunt. *Andr. Baccius 1. de Thermis.*

Abule apud S. Augustini Moniales, imago Deiparæ colitur in saxo, quam sponte natura delineauit. *Nierembergius.*

Vallisoleti in choro Monasterij S. Claræ sepulchrum visitur Equitis Castellani: quoties ex eo strepitus audiuntur, signum est certissimum aliquem ex eius familiâ breui moriturum. *Idem.*

Supra *Burgos* in pago *Boëtio* fons fluit exinde dictus *Boëtius*, qui in duos lacus influit, in iis qui lauantur fluxum sanguinis patientes illicò sanantur. *Idem Eusebius.*

§. 3. In Regno Legionensi.

In Monasterio *Sinticæ*, *Zamora* est, Monasterium est Dominicanorum; in eo ante obitum cuiuslibet Religiosi illic morituri, campana sponte pulsatur. Insonuit illa sæpe nemine decumbente, non tamen sine certâ mortis subitæ, & inexpectatæ significatione. *Ioan. Lupus Episc. Monopolensis.*

In *Oceano Cantabrico*, in parte *Orientali Asturiarum*, audiuntur virginum voces modulatè canentium. Vnde hæc musica, ignoratur. Acutiore tamen indigenarum credunt esse Tritonum & Sirenarum voces dum venere concitantur. *Eusebius Nierembergius.*